

omnem præsuppositionem causatur, ideoque prædestinatio non est absoluta prædefinitio actus liberi, nec absolutam certitudinem ex se habet, seu præsuppositam in prævisione scientiæ mediæ. Dicit D. Thomas, causa secunda quæ præsupponitur ad effectum prædestinationis (ista est voluntas nostra libera ejusque consensus) subjacet ordini prædestinationis, et ideo ordo prædestinationis habet absolutam certitudinem, licet cum præsuppositione voluntatis humanæ (utiq̄ue consentientis) ergo certitudo istius consensus non præsupponitur ex se prævisum secundum D. Thomam sed ex subjectione seu derivatione a decreto et prædestinatione divina habetur, ergo vacat apud D. Thomam scientia media, si quidem totam certitudinem consensus nostri non ad ipsam, sed ad prædestinationem reducit, et licet admittat præsupponi humanam voluntatem, tamen, istam præsuppositionem ipsi prædestinationi et decreto Dei subjicit, ideoque ejus certitudinem dicit absolutam ex vi et causalitate decreti, quia scilicet illi subjacet ut effectus causæ, ergo sumit totam et absolutam certitudinem ex causalitate Dei, non ex sola prævisione; scientia autem media non subjicit prædefinitioni consensus, sed præscientiæ, ideoque fateretur prædefinitionem non esse absolutam, ita quod ex ipsa et ejus causalitate sumatur tota certitudo, sed solum prævisa supponatur. Ergo e diametro pugnat scientia media cum D. Thoma. Et hoc ipse reducit ad universalitatem summam divinæ virtutis omnia comprehendentis, quod non habent aliæ causæ creatæ.

XXVIII. Videndus est etiam S. Thomas quæst. XII de veritate, art. X, quem locum expendimus articulo præcedenti ad probandum juxta mentem D. Thomæ cognosci a Deo

ista conditionata ex parte eventus juxta ordinationem et dispositionem divinam. Et I part. quæst. XIX, art. VII ad II inquit: « Utrumque horum Deus vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundum causam superiorem, vel e converso: » constat autem quod illud quod secundum causam inferiorem et futurum, sed de facto non erit, est futurum conditionatum, quod utique esset, nisi ordo superior aliter habuisset, et tamen hoc dicit D. Thomas quod Deus vult, et sic ordinatum fuit a Deo. Et infra dicit: « Quod illud Isaïæ XXXVIII dictum ad Ezechiam: Dispone domui tuæ, quia morueris tu et non vives, non ita evenit quia aliter fuit ab æterno in scientia et voluntate divina. » Non ergo solam scientiam quæ præsciat eventum ponit D. Thomas sed simul voluntatem ex qua maxime pendet certitudo eventus. Et ita in I, dist. XLVI, q. I, art. I ad II, expresse ponit D. Thomas voluntatem conditionatam in Deo ex parte voliti, et non ex parte voluntatis, sed absolutam ex parte voluntatis, quod sane omnem scientiam mediam solvit, quæ non stat cum decreto absoluto ex parte voluntatis, et conditionato ex parte rei volitæ. Ac denique in quæst. II de verit. artic. XII ad IX, inquit: « Quod Deus etiam cognoscit ordinem unius ad alterum, et sic cognoscit aliquid esse futurum respectu alterius, sed sic non est inconveniens quod ponatur, quod Deus scit aliquid futurum esse, quod non erit, in quantum scilicet scit aliquas causas esse inclinatas ad aliquem effectum qui non producet. » Ecce quomodo admittit D. Thomas scientiam futurorum quæ non erunt, sed solum conditionata sunt, scilicet videndo causas inclinatas, quam inclinatio-

nem ipse utique vult, et decernit quia ponit illas in rerum natura.

XXIX. Nec obstat, quod S. Thomas aliquando affirmat prædestinationem præsupponere scientiam futurorum III part. quæst. I, art. III ad III, ergo admittit aliquam scientiam de futuris antecederet ad decretum seu prædefinitionem, hæc autem est scientia media. Et quæst. XII de verit. art. X in corpore et ad III, docet: « Quod prædestinatio est solum de his quæ fiunt virtute divina, non de his quæ fiunt per actus nostros, juxta quod dicit Damascenus libro II fidei, quod quæ ea Deus prædestinat non sunt in nobis. » Respondetur enim ad primum locum quod prædestinatio de danda vita æterna aliquibus, supponit præscientiam aliquorum non conditionatam sed etiam absolutam, sed non sine alio decreto Dei quod etiam vocari potest prædestinatio laxiori vocabulo, non sumendo illam pro sola prædestinatione ad gloriam, de qua ibi loquitur D. Thomas, hæc autem supponit futuritatem rerum naturalium etiam absolutam, et sic non mirum quod ab alio decreto Dei dependeat. Quod manifeste patet, quia ibi loquitur D. Thomas de præscientiæ præsupposita futurorum absolutorum non conditionatorum et sic locus iste non est ad rem. Ad secundum locum dicitur, quod prædestinatio formaliter est de his quæ fiunt a Deo, quatenus sic fiunt unde actus nostri prout etiam a Deo fiunt sub prædestinatione cadunt, licet non prout præcise a nobis. Dicit autem Damascenus ea quæ sunt in nobis Deum prænoscere, sed non prædeterminare prædeterminatione imponente necessitatem, ut exponit S. Thomas III contra gent. c. CX in fine, et I p. q. XXIII, art. I ad primum, ex hoc tacite insinuans quod datur alia prædeterminatio seu præ-

definitio non imponens necessitatem, et hanc nos fatemur.

XXX. Auctoritates ex D. Prospero et aliis non adducimus in præsentibus, quia supra ex D. Prospero satis multa attulimus referendo errorem Semipelagianorum, et plura in sequenti articulo indicabimus. Præcipuum enim in hac parte est ostendere mentem Augustini quem in hac materia de gratia, Romana Ecclesia sequitur, ut docet Hormisdas papa ad Possessorem episcopum et Joannes II ad Abienum senatorem, ut late ostendimus in tractatu de approbatione doctrinæ D. Thomæ, disputatione prima. Et ideo ipse sufficiat pro omnibus, quia eum postea tota sequitur Ecclesia.

ARTICULUS IV.

Rationibus, et inconvenientibus exploditur hæc scientia media.

I. Non agimus de futuris conditionatis prout præcise significant vim consequentiæ, sic enim vel sunt necessaria vel impossibilia, ut jam supra art. II ostendimus. Nec etiam est præcipuus labor in conditionatis omnino disparatis, et puram concomitantiam significantibus, in quibus nihil aliud importatur, quam cognitio duorum futurorum simul, quæ inter se connexionem non habent, quod vero unum non existat nisi altero existente; et ita existentia unius dependeat ab altero, vel potius concomitetur, cum ex natura sua dependentiam talem non habeant, prorsus referendum est ad aliquid extra ipsorum naturam, id est, ad aliquam causam quæ sic voluit disponere, ut nisi hoc existat, neque alterum, quod totum est beneplacitum Dei, nam quod ex natura rerum non convenit, ad beneplacitum seu causam extrinsecam referen-

dum est. Præcipue ergo agimus de his futuris quæ aliquam connexionem habent licet contingentem, sed tamen ex imperfectione eorum in se considerari potest, quid continget ex natura talis veritatis, non in vi solius beneplaciti extrinseci; quamquam etiam aliquid de prioribus futuris tractabitur, et ex illis ad ista deducemus argumentum.

Igitur præcipua fundamenta destruendi scientiam mediam ad tria reducuntur. Primum, quasi a priori, quia veritas illorum determinata et certa etiam sub statu conditionato, non potest stare sine aliquo decreto, et voluntate Dei, non antecedenter ad omne decretum liberum. Secundum, ab inconvenientibus præsertim theologicis, quæ ex positione talis scientiæ mediæ sequuntur. Tertium, specialiter ex incongrua assignatione objecti hujus scientiæ apud oppositos auctores.

II. Prius tamen suppono, id quod latius probabitur circa quæstionem XIX, non implicare ex vi minorum, nec esse impossibilem ex se prædefinitionem Dei absolutam (id est, habitam de facto a Deo ante scientiam mediam) cum nostra libertate. Tum quia divina voluntas ex se est primum liberum, et prima causa omnis libertatis, et indifferentiæ creatæ omni alio remoto, cum ex se sit infinitæ perfectionis adhuc in ratione voluntatis liberæ, et sic ex se et omni alio remoto est primum liberum et causa omnis libertatis creatæ, sed per scientiam mediam Deus inspicit aliquid extra se tantum, nempe id quod voluntas creata determinabit posita in tali conditione, ergo ex tali scientia non redditur voluntas libera Dei compossibilis cum libertate creata, sed ex se antecedenter ad talem scientiam habebat eam compossibilitatem etiam si talis scientia media non daretur, quia ex

se, et non ex ipsa scientia habet omnem rationem, unde sit causa nostræ libertatis, eamque non destruat sed adstruat, et sic etiam non admissa scientia media, manet tota ratio conciliandi libertatem nostram cum libera voluntate Dei. Tum etiam, quia omni objecto scientiæ mediæ remoto, et omni conditione futurationis non inspecta, Deus videt per scientiam simplicis intelligentiæ non implicare, sed esse possibilem actum liberum meum hic et nunc etiam ut liberum, sed quod Deus videt non implicare, sed esse possibile potest facere nulla alia creata conditione inspecta, nec futuratione conditionata expectata, quia hoc ipso quod non implicat, potest facere per omnipotentiam: ergo et velle ante omnem aliam conditionem, quia quidquid potest facere per omnipotentiam, potest velle per voluntatem nullo alio expectato, nec attento. Ergo voluntas antecedens omnem conditionatam futurationem per scientiam mediam inspectam (quæ est prædefinitio) non pugnat ex se cum nostra libertate. Sed de hoc latius infra circa quæstionem XIX.

VERITAS DETERMINATA SUB STATU CONDITIONATO EST EX DECRETO.

III. Scientia media docet Deum æquali parique necessitate omnium possibilium futurationem sub conditione determinate videre, sicut simplex intelligentia possibilitatem et quidditatem, non expectata voluntatis suæ super hoc determinatione, quia de se illa fututio est cognoscibilis sicut et possibilitas. Unde non minus ab infinito lumine intellectus antecedenter ad voluntatem lustratur fututio, et penetratur quam possibilitas. Hæc est ratio scientiæ mediæ.

IV. Ad destruendum hoc assertum, oppositum fundamentum nobis jaciendum est, et probandum, nempe visa possibilitate futurationis et quidditate rerum per simplicem intelligentiam, non posse determinate futurationem videri pro statu conditionato inconsulta voluntate divina. Et formo sic rationem: Veritas futuri conditionati, de facto est veritas quædam determinata, licet objectum ejus sub conditione sit existens, v. g. si maneat David in Ceila, determinata veritas est et de facto talis veritas est, quod tradetur, oppositum vero ejus de facto est falsum, scilicet quod non tradetur, ita quod hæc veritas non est suspensa, et sub conditione pendens in ratione veritatis, licet existentiæ sit sub conditione pendens; et hoc constat, quia hæc veritas de facto est cognoscibilis, si quidem de facto ponitur scientia de illa, et contradictorium de facto est falsum; ergo veritas de facto est determinata et certa et infallibilis, licet existentiæ sub conditione sit futura, certo tamen sic est futura, ita quod non manet in ratione pure possibilis, nec indifferens ipsa, et suum contradictorium, ergo talis determinatio pro illo statu conditionato et ut extracta a ratione puræ possibilitatis et indifferentiæ, ex aliquo principio et causa oritur. Non ex Deo ut præbente possibilitatem in objecto; non ex ipsa ratione et quidditate seu natura objecti secundum se, ergo ex voluntate divina. Consequentia, scilicet quod illa determinatio oriatur ex aliqua causa, licet ex se satis notum videatur, ostenditur tamen, quia illa determinatio ita convenit huic subjecto in statu conditionato, quod in eodem statu posset oppositum convenire, si quidem contingenter sequitur, et convenit etiam in illo statu manente enim David in Ceila, non erat re-

pugnantia et implicatio quod oppositum accideret, scilicet non traditio quantum est ex vi mansionis, et ex vi voluntatum, et causarum, a quibus tradendus erat, ergo si non erat repugnantia, per aliquam potentiam poterat fieri quod non traderetur, alias si per nullam potentiam et causam posset fieri, implicaret, ergo si non est verum quod non tradetur, sed potuit oppositum determinate esse verum, scilicet traditio, etiam per aliquam potentiam et causam fit illa determinatio et veritas, scilicet quod manente David in Ceila, et sub illo statu conditionato, potius sequatur traditio ejus, quam non traditio. Eadem enim potentia quæ posset facere, ut non sequeretur illa traditio adhuc stante illa conditione, facit ut stante illa conditione sequatur.

V. Minor vero probatur quoad primam partem, nempe quod non sequatur ex ipsa virtute et omnipotentia Dei, ut præbente possibilitatem, quia omnipotentia Dei æque indifferenter potest illud et oppositum ejus, et consequenter æque indifferenter redditur possibile tale futurum et oppositum ejus, etiam stante illa conditione, ergo ex vi omnipotentiae præcise non determinatur illa fututio sub illo statu conditionato, sed tam ipsa quam ejus contradictoria est possibilis, quantum est de se. Quod vero non determinetur ex se ipsa, seu ex natura ipsa talis futuri, etiam patet, quia etiam pro statu illo conditionato utrumque est contingens, et ex natura rei capax utriusque eventus, scilicet traditionis, et non traditionis, et æque bene salvari potest cum mansionem David in Ceila traditio ejus, vel oppositum, ergo in se non habet principium determinandi hanc veritatem quod tradetur, potiusquam oppositum quod non tradetur, sed habet in-

differentiam ad utrumque et contingentiam, ergo sola et præcisa natura talis futuri seu ex vi extremorum ex quibus constat, non est sufficiens ratio et principium determinandi magis unam partem quam aliam.

VI. Dices: Ipsa voluntas pro sua libertate est sufficiens principium determinandi veritatem illam conditionatam, quia et si sit potentia indifferens et contingens, tamen etiam potens est se determinare in alteram partem pro sua libertate, et sub illa conditione et occasione cognoscibile est in quam partem se determinabit, et hoc attingitur a Deo suo infinito lumine, attingit enim quidquid cognoscibile est. Nec oportet quærere principia extrinseca, a quibus determinatur illa veritas conditionata, sed determinatur a principio intrinseco, scilicet a se ipsa, sibi enim est conformabilis illa veritas quod voluntas faciet si ponatur in tali conditione, sive occasione. Sed contra est, quia posita illa conditione et statu conditionato, vel voluntas necessario habet istam determinationem, seu prævidetur habitura, vel libere. Necesario habere non potest, ut de se patet, nihil enim datur in tota illa conditione quod necessitet voluntatem, alias si conditio purificaretur, actus ille non exerceretur libere, sed necessario, quod patet esse falsum, constat autem quod si sub statu conditionato sequitur necessario ex vi conditionis, purificata conditione, et posito statu absoluto, sequeretur etiam necessario, quia eodem modo sequitur in statu absoluto purificata conditione, quo sequitur conditionaliter sub statu conditionato. Si autem libere habetur determinatio pro illo statu conditionato, et libere etiam posset a voluntate opposita pars sequi, ergo causa et principium talis determinationis

pro illo statu est libera voluntatis creatæ determinatio, ergo etiam divinæ, quia ubicumque sibi facit locum creata libera determinatio, etiam voluntas divina locum habet. Et in hoc non est intelligibile quod fiat illa determinatio in statu conditionato per principia intrinseca creatæ libertatis, et non per extrinseca voluntatis divinæ, quia illa creata essentialiter est dependens, et participata a divina. Et illa determinatio voluntatis creatæ est quædam participatio Dei non sub statu possibilitatis, neque sola omnipotentia ut potente absolute, et indifferenter, quia æque potest hoc et oppositum, ergo est participatio ab aliqua determinatione Dei libera, quæ utique non nisi per ejus voluntatem datur.

VII. Nec dici potest quod illa determinatio, et veritas conditionata est quidem participatio libera Dei conditionata etiam ex parte decreti divini, seu participatio decreti conditionati, non absoluti, eo quod sufficit ad hoc, ut sit participatio Dei quod si in re fiat purificata conditione, non fiet nisi Deo causante, et participationem dante, non vero requiritur, quod etiam sub conditione manendo a Deo de facto derivetur per liberum decretum. Sed contra est, quia esto ita sit, tamen a decreto conditionato Dei non potest infallibiliter derivari et certo veritas ista conditionata, nisi infallibiliter, et certo constet de illo conditionato decreto Dei quod erit, cum possit oppositum etiam discernere sine aliquo miraculo, non enim minus poterat Deus disponere quod Ceilitæ non tradidissent David si maneret, quam permittere quod traderent etiam secundum ordinarium rerum cursum, sicut enim voluntas Ceilitarum posset id facere sine miraculo, etiam poterat Deus disponere. Si ergo illa determinata ve-

ritas conditionata quod tradent si maneat David, est participatio quædam voluntatis, seu decreti divini conditionati, ergo ut nunc de facto sit certa et infallibilis veritas, debet esse nunc de facto certa et infallibilis participatio a tali decreto conditionato, ergo debet infallibiliter Deo constare quod habebit tale decretum posita illa conditione, sicut ei constat infallibiliter quod voluntas creata illud operatura est. Sed non potest nunc de facto constare Deo quod sua voluntas tale decretum infallibiliter habitura sit nisi etiam nunc de facto placeat Deo tale decretum habendum pro illo statu: quomodo enim voluntati divinæ potest displicere, quod per intellectum videt se infallibiliter habituram pro illo statu, et hoc ipsi modo præsens est? Ergo nunc placet ipsi illud decretum in illo statu habendum infallibiliter a divina voluntate, ergo est perinde atque habere decretum præsens et absolutum, quia de facto et absolute nunc ei placet decretum habendum, et sic ipsa complacentia est præsens, et absoluta voluntas; alioquin non cognosceretur esse infallibiliter habendum; si autem non constaret infallibiliter habendum, non posset cognosci libera illa determinatio voluntatis creatæ, ut infallibiliter participata a conditionato decreto Dei, et consequenter nec cognosceretur ut infallibiliter vera et determinata.

VIII. Præterea, non est verum illam veritatem conditionatam, quæ de facto datur in illis futuris conditionatis, de facto illis convenire per participationem a decreto non existente de facto in Deo, sed conditionate habendo. Etenim illud decretum conditionatum, seu habendum si conditio purificetur est decretum supponens veritatem futuri conditionati, ergo non potest esse princi-

pium a quo derivetur et participetur talis veritas. Antecedens probatur, quia apud hos auctores illud decretum conditionatum solum est decretum de concurrente cum voluntate creata concursu generali, aut concursu indifferenti, et ab ipsa voluntate determinando, in casu quo purificetur conditio. Veritas autem futuri conditionati est quod voluntas, si conditio ponatur, et Dei concursus generalis non desit, se determinabit, ergo talis veritas non participatur ab illo decreto conditionato, sed ab illo supponitur, si quidem quando tale decretum advenit de concurrente indifferenter, determinatio talis concursus supponitur quod fiet a voluntate, et sic est prævisum, non ab ipso decreto determinatum et causatum, licet non sine ipso voluntas causabit et operabitur. Frustra ergo determinatio illa veritatis conditionati futuri dicitur participata et derivata a decreto conditionato ex parte Dei, et habendo sub conditione si conditio illa purificetur, cum potius a tali decreto supponatur, ut indifferentiæ concursus determinetur, et efficax sit.

IX. Quare redeundum est ad illam consequentiam quam formabamus, et quæ in illa scientia media difficillima est. Voluntas creata a statu puræ possibilitatis, et indifferentiæ translata ad statum futuritionis conditionatæ, in quo est veritas futuri sub conditione determinata ad alteram partem (cum posset ad oppositam determinari) non determinat illam veritatem necessario, ita quod ex vi illius conditionis, vel sub statu illo conditionato sequatur determinatio ad hanc partem potius quam ad oppositam necessario, ut jam supra ostendimus, alias non esset veritas futuri contingentis et liberi, sed nec necessarii, cujus oppositum supponimus. Prævidetur ergo libera